



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controverisa XXXIX. De Udone.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA XXXIX.

D E

*Udone.*

**I**N Libro quodam multorum manibus  
rito, cuius titulus est. SPECULUM  
EXEMPLORUM. cum variis circum-  
stantiis exoticis prolixè recenferur pro-  
digium, ut vocatur, prorsus terribile  
& à sæculis inauditum. Quomodo scilicet  
Anno *Æræ* Christianæ 985. sub regimine  
Imperatoris Ottonis III. Parthenopolis, a-  
liàs Magdeburgi, in Saxonia inferiori qui-  
dam adolescens dictus Udo humanioribus  
litteris operam dederit; qui, cum esset inge-  
nii admodum tardi & indocilis, in quo Ma-  
gistrorum diligentia nullus correspondit  
fructus, etiam, dum verberibus exercere-  
tur stupidus manens. Quadam autem vice  
ex ludo litterario Ecclesiam majorem, Deo  
in honorem Ss. Mauriti & Sociorum dica-  
tam ingressus & Beatissimæ Virginis Deiparæ  
opem implorans pro illuminatione sui inge-  
nii; illa in somnis sibi apparens scientiæ mu-  
nus addixisse fertur; imo Archi-Episcopa-  
tum, post mortem ejus, qui tunc Ecclesiæ  
præerat promississe; tantumque Virginis  
Marris adjutorio deinceps in litteris bonif-  
que artibus profecisse, ut, post biennium  
defuncto Archi-Episcopo Magdeburgensi,  
propter insignem eruditionem *Udo à sanctis*

*Electus Metropolitanus efficeretur. Et ut vic-*  
na est lapsibus adolescentia, quia variarum  
æstus cupiditatum fervore calentis inflam-  
matur ætatis, quemadmodum S. Ambrosius  
*Lib. 1. de viduis.* Udo, ut legitur, hac Digi-  
nitata obtenta, sui status immemor, pro-  
pitiæque salutis incivius cœpit voluptatibus  
servire, Ecclesiæ facultates dilapidare; &  
non solum sæculares fœminas; sed etiam  
Deo sacratas violare, insuper, excusso om-  
ni timore Numinis, ad omnia flagitiorum  
genera habenas laxare, ut cunctis flagitiis  
ejus scandalo vita fuerit. Deinde narratur,  
quod cum Archi-Episcopus ille per multo-  
rum annorum curricula aërem mundumque  
universum suis corrupisset sceleribus, & qua-  
dam nocte cum nigrarum monialium Abba-  
tissa de regali Monasterio, quod Vallis lilio-  
rum tunc dicebatur, Ordinis Cisterciensis  
concumbens; postquam animo obdurato  
aliquoties vocem illam, *Udo cessa à Ludo,*  
*quia lussisti satis Udo,* percepisset; è lecto  
abreptus, in idem templum S. Mauriti &  
Sociorum 6666. aliorumque Sanctorum  
resurgentium, quorum reliquiæ inibi refer-  
vabantur, præsentatus, à iudice Christo  
condemnatus, & à quodam pugili deca-  
pitatus



piratus fuerit. Atque hæc omnia vidisse quendam Canonicum Fridericum; eadem nocte in præfata Ecclesia orantem traditur, qui mane Udonem in sanguine tabefactum omnibus ostendisset: omniaque, quæ apertus oculis vigilans vidisset, & audivisset, per ordinem enarrasset. Additur, quod memorato die Udonis Sacellanus, Bruno dictus, in itinere somno correptus Episcopum defunctum à dæmonibus malè tractari viderit; qui terrefactus evigilans ab equo suo miserè tractus, avulso brachio Parthenopolim venerit: & mox, ut Dominum suum mortuum cognovit, visioni terrorem, terrori iudicium, iudicio prodigium cumulaverit: atque cuncta, quæ sibi acciderant; quæque viderat & audierat patefecerit; ostendens etiam à sua compage brachium avulsam & repentinam canitiem in argumentum veritatis.

Lucret. Lib. 2.

Quid magis de rebus poterat mirabile dici?

Atque hæc est periocha tam famosæ narrationis à plurimis creditæ, à multis adoptatæ, ex Speculo Exemplorum desumptæ, in quo prætenditur *veraci stylo relata*. In fidem & confirmationem rei gestæ passim adfertur.

I. Non solum in amplissimo districtu Archi-Diœcesis, nunc fatali serie, Ducatus, ut loquuntur sæcularizati, sed in universa quoque Germania aliisque regionibus eadem res tanquam verissima constanter sine ulla dubitatione hucusque creditur & ubique ex Cathedra in templo fidelibus proponitur; ut vel inde percipiant, quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Deinde hujus obstupescendi facti memoriam ingerit oculis cruor ipsius Udonis, ex decollatione effusus, super pavimentum marmoreum candidum positus, qui tam visibiliter adhaeret pavimento illi, ut de essentia marmoris quodammodo videatur, nulla arte expungendus. Super locum autem illum, ubi decolla-

tio facta fuit, semper prosternuntur peristromata, seu tapetes: & quando super electos Archi-Episcopos juxta morem cantatur Hymnus Ambrosianus Te Deum &c. remouentur, atque ibidem electi ad orationem prosternuntur, ut videntes sibi caveant, ne fortè pari sorte pereant, sicut ille infelicitissimus. Hæc leguntur in citato Speculo Exemplorum.

II. Scriptores gravissimi, atque eruditionis non minus, quam pietatis laude spectatissimi terrificam illam tragœdiam Adrastæ Nemesis referunt, suisque consignat calamis, Joannes Trithemius in *Chron. Hirsaui*. Nauclerus *Volum. 2. Generat. 34.* Joannes Baptista Fulgosus *Lib. 9. cap. 12.* Godeschalcus Hôlen. *Ord. FF. Eremit. S. Augustini in Germania Concionator celeberrimus Decalog. præcept. 6.* Hartmannus Schedel in *Chronic.* Petrus Canisius *Lib. 5. Marial. cap. 20.* Cornelius à Lapide, alique plures tum historici, tum asecetici Scriptores; qui ex antiquissimis MSS. Codicibus catastropham illam fœnerati sunt: *quam si Saxones tacuissent, lapides clamassent* ait Author Speculi memorati, aliorum Doctorum iudicio approbati.

Hanc narrationem de Udone falsitatis plurimum suspectam; imo ut merum & inane commentum efficere videntur sequentia.

I. A vero censei debet alienum, quod imbellis juvenis, cui validæ nondum argumenta juventæ irreperant genis, in tam gravium ac præclarissimorum virorum necdum admissus Collegium: & scholari adhuc conspersus pulvere, hanc Dignitatem eminentem fuerit de repente assecutus, ut præfertur, post biennium obtentæ scientiæ: præsertim cum ad hoc cellsum munus viri conspicui, ac rerum gerendarum peritissimi, ex diversis regionibus per Imperatores singulari industria exquisiti, fuerint deputati, quorum fingitur Udo in serie quartus, qui Ecclesiam illam non ita pridem erectam



crectam cum maximo fidelium scandalo per multa annorum curricula tam turpiter suis fordasset moribus. Cum equidem constet viguisse ea tempestate in Ecclesiastica disciplina illud S. Gregorii Magni Decretum, quod etiam habetur. *Quest. 1. Pueri. Pueri ad Sacros Ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius ad altiora ascendere festinant.* Multo minus prouide fas erat, ut in Solum Metropolitanum collocaretur adolefcens utilium tardus provisor.

II. Falsum est, quod Udo ab omnibus fuerit in Antistitem electus Ecclesie Magdeburgensis. Constat quippe, quod Capitulum illud non habuerit jus electionis, quando Imperatores ad suum beneplacitum duodecim priores Archi-Episcopos designant. Ipsi verò Canonici, non nisi Saeculo duodecimo, vigore Concordatorum inter Henricum V. Imp. & Calixtum II. P. M. Anno 1125. jus electionis obtinuerunt; fuitque per ipsos primo electus in Archi-Episcopum Magdeburgensem S. Norbertus Ordinis Præmonstratensis Institutor: ut est legere in Cranzii *Metropol. Lib. 6. cap. 12.*

III. Falsa est Chronotaxis rei, ut prætenditur, gesta. Nam Otto III. Imperii Falces tenuit ab Anno Christi 984. usque ad annum 1002. Atqui in comperto habetur ex Chronico Magdeburgensi, & tabulis ejusdem Metropolis; quod post Adalbertum & Othricum Præsules præfuerit Giselerius alias Giselerius ab anno 982. usque ad Annum 1004. Gislero mortuo Fratres, jure ut putabant, Ecclesia elegerunt ex suis quendam Woldardum repugnantem, & ut poterat reclamantem. Imperator sui esse juris reputans Ecclesiam providere, absoluit inuitum; & reposuit Cancellarium suum Drogonem, virum sine Controversia optimum, (nullus ergo tunc locus pessimo) præfuit autem annis tantum octo & quatuor mensibus. Granz. *Loc. cit. Lib. 4. cap. 3. Inde Manfredus proficitur, vir re-*

*ligione præcipuus, ex Monasterio Wirziburgensi translatus per Henricum Imperatorem: præfuitque Ecclesie annis 27. Idem ibidem. Non potuit ergo Udo ille adolefcens recenseri quartus in ordine ab omnibus electus Metropolitanus, & post multa annorum curricula talis in Ecclesia decollari. Rectè scribit Polybius insignis ille historicus Lib. 1. Perinde ac si quis oculos animanti effoderit, quidquid superest corporis sit inutile: ita demptâ ex historia veritate, narratio omnis inutilis est.*

Quæ in facti probationem lææ confirmationem excogitata sunt, nullius sunt momenti, nulloque labore destruantur.

Ad Primum Respondetur. Traditio de Udone est popularis, quæ ab Eruditis in veritatis statum appensa, inventa est minus habens. Non quævis narratio ideo vera censeri debet, quia à multis refertur, & à vulgo passim creditur. *Sic est vulgus. Ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat.* Cicero pro *Rosc. com.* Priusquam narratio de prioribus Saeculis veritatis speciem induat, unde desumpta sit discutendum. Et quia hæc de Udone traditio obscuræ admodum est originis, rectè avi nostri Ecclesiastes percelebris Hieremias Drexelius scripsit, quod sit historia magis decantata, quam vera. Vestigia cruoris in pavimento marmoreo extare negat Reverendissimus Henricus Streverstorffius ex Ord. Erem. S. Augustini Episcopus, Suffraganeus Moguntinensis: qui in Catalogo Episcoporum Magdeburgensium perhibet, quod Anno 1629. die 18<sup>va</sup> Maji cura duobus sociis ejusdem Ordinis Magdeburgi existens ad chorum majoris Ecclesie S. Maurii admittus fuerit: atque illud pavimentum ex candido marmore quæsierit; non reperit autem tunc, nisi parvum aliquem lapidem, juxta pedem Crucis æneæ infra gradus ad summum Altare; qui, dum affusâ aquâ absterfus fuisset, exhibuerit quasdam venulas rubicundas; quas intelligentiores, & marmora quo-



ea quotidie transtantes dicunt, quod æquæ experientia probat, marmor candidum naturaliter spargere.

Hoc ipsum de lapide illo confirmant, quotquot hodie dum viderunt. *Sola ratio incommutabilis, & judicii tenax est: non enim servit, sed imperat sensibus*, prudenter censuit Seneca *epist. 68.* Ritum illum adducendi Episcopos ad locum cruentum, tapete obiectum, fuisse vel ab uno observatum Episcopo, nullo testimonio idoneo verificatur.

Ad Secundum Respondetur. Non est figmenti alicujus signum certius, quam traditionis novitas: atqui nulli Annales, nulli Historici antiqui Seriem Episcoporum Magdeburgensium complectentes; imo nec Chronicum illustrissimi Capituli, aut Civitatis tablinum faciunt mentionem alicujus Udonis, prout sibi liquido constare testatur citatus Streverstorffius. Profectò rem adeo notabilem Scriptores corvi aut suppres nequaquam silentio præterissent. Nec Craëzcius, qui antiquorum monumenta hac de re diligenter perscrutatus fuit, si legisset, in suis lucubratoribus omisisset. Adeoque verum est id unicum in hac narratione quod impostor scripsit. *Prodigium esse à Saculis inauditum.* Authores in rem citati recentiores sunt: qui cum non referant fontes, unde hauserint; fidem quam exigunt, apud Eruditos non inveniunt. Frustra autem affirmationem quis sumit ex hominibus, quidquid non habet ex veritate, ait Quintil. *declar. 1.8. §. 8. &c.* Solemne est hujusmodi Scriptoribus, ea suis inferere libris, quæ legentibus terrorem incutere tam sunt apta, quam creditu difficilia. Hi veritatem rerum non inde petunt, ubi ea residere solet: sed ex iis, in quibus raro est eam invenire, nempe ex dissipatis pervagatisque rumoribus. Quæ res plerumque iis accidit, qui volatili ducuntur spiritui, natura leves & ad credendum prompti. Nam homines graves, circumspecti at-

que severæ mentis, non consueverunt vulgi sermonem aucupari. Quanquam negari non possit, quod Canus *L. c. Lib. 11.* scribit, viros aliquando gravissimos in Divorum præsertim prodigiis scribendis sparfos rumores & excepisse & Scriptis etiam ad posteros retulisse. Qua in re, ut eidem Authori videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt; quod vulgus sentiebant, non tantum ea miracula facile credere; sed impense etiam flagitare.

*Paligen. Lib. 3.*

--- tam magna est penuria mentis  
ubique ---

--- in nugas tam prona via est.

Paucissimi illi, qui de Udone scripserunt, multis rem agunt; existimantes eo melius similari veritatem, quo plures circumstantiæ rerum personarumque exprimentur: quæ tamen affectatio prodece potius fucum peritis assolet. Concubinam Archi-Episcopi narrant fuisse Abbatissam nigrarum monialium Ordinis Cisterciensis: ast illæ ex Instituto veste candida utuntur, fuitque Ordo Cisterciensis nonnisi post annos centum à Roberto institutus. Monasterium Vallis Liliorum, cui ipsa præfuisse; ubinam terrarum extiterit, à quo fundatum, hucusque incompertum manet. In Diocesi Magdeburgensi nullam ejusdem nominis Monasterium extitisse, vel inde colligere licet; quod Joannes Buschius Sæculo XIII. Autoritate Apostolica quamplurima monialium, etiam Ordinis Cisterciensis, Monasteria visitando reformaverit, quæ libro edito, non minus prolixè quam exactè recenset; attamen nullius meminit, quod Vallis Liliorum nuncupatur: quamvis per Saxoniam & quaquaversum ultra sexcenta miliaria profectus, inibi situata utriusque sexûs numeret Monasteria: ut adeo eorum improbabilis sit conjectura, quod ejus nominis Parthenon fuerit in Hostenholtz in Territorio Bremensi: cujus cum nulla vestigia ruderave restent, neque ulla in



ulla in Libris, qui de Monasteriis Germaniæ aut Ordinis Cisterciensis evulgati sunt, fiat memoria hac in parte, sola nihil poterit conjectura tribuere, ut credatur, quod neque ex autoritate, neque ex similitudine veti fidei meretur.

Fortitan autem quisquam falsitatem subesse non posse inde arguet, quod portentum illud cum omnibus circumstantiis in pluribus libris reperitur, qui approbati sunt ab iis, quos Librorum Censores in Republica Christiana constitutos legit. Talis assimulandus venit sacerdoti illi, quem Cantus memorat sua ætate visum: cui persuasissimum fuit, nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excusum: reputans nequaquam tantum facinus Reipublicæ ministros commissuros, ut non solum vulgari mendacia finirent: sed suo etiam communirent privilegio, potius privilegio, quo illa tutius mentes mortalium pervagarentur. Quo sanè argumento animum induxit credere ab Amadiso & Clariano res eas verè gestas, quæ in illorum libris commentitiis referuntur. Haud dubiè vir ille simplex & incultus suæ imposuisset nimis credulitati modum de cuiusdam libri impressi veracitate, si legisset acutissimam in hunc à visitatore Librorum strictam censuram istam, pluribus utique accommodandam Libris.

<sup>er-</sup>  
R tenet Ausonium liber hic tenet atque  
Pelagium

<sup>res</sup>  
R tenet Hebreum, prætereaque nihil.

Quantum ad Librum dictum, SPECULUM EXEMPLORUM, in quo primò prodigium à seculis inauditum veraci stylo refertur, obscuro is Authore Anno 1471. Davendriæ in lucem prodit, & post multi-

plices impressiones variis in locis Joan. Major Soc. JESU locupletatum evulgavit sub approbatione Georgii Colvenetii in Academia Duacensi Librorum Visitatoris Anno 1607. Ipse tamen Major exemplis in univertum 1375. æqualem fidem non adstringit, dum in *Præmonitione ad Lectorem* proloquitur. *Deinde si quæ incredibilia vel fabulosa, vel tantum ad ciendum risum efficta videntur, qualia paucissima sunt, solum in navigiis, vehiculis, mensis, vel jucundis congressibus narranda exerentur.* Quibus proinde aprè convenit illud Ciceronianum. *Ut vetusta habeantur ista, non ut in vincula virorum, sed oblectamenta puerorum.* Cui otium erit inspicere speculum illud, reperiet fortè paucissima, quæ sibi risum, teperiet perunt, exempla: ast sat multa occurrent, quæ stomachum movebunt. Exhibet vitreum seu crystallinum speculum simulachra, imitantia verum: ast illud representat plurima falsa, apocrypha, lachrymabilia, improbabilia & incredibilia. Adeo, ut non æqua videri nequeat citati Canariensis Præfulis censura hæc.

*Nec ego hic Libri illius Authorem excuso, qui Speculum Exemplorum inscribitur: nec Historiam etiam ejus, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius, quàm vera miracula leges: hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certe parum severi & prudentis.*